omnes, qui nobis bene volunt: Gaudeo à me non de vto 1576.
procul abesse tempus, quum decursa vitae spatio ex
ista obtrectantium hominum pertinacissima collu-
vione discedam. Equidem bona spe plenus et in Dei
patris per Jesum Christum gratuita benevolentia
placidè acquiesco. Quod de Graecis ait M. Tullius,
contentiosos magis eos, quam veritatis studiosos
fuisse, idem de hoc nostro seculo verissimè dici
potest: Longè plus in eo esse odii et contentionis:
quam sincerae, veraeque pietatis. Sed habet tamen
unum inestimabile bonum, quod ex illis undique
doctissimorum hominum acerrimis certamini-
bus: coelestis doctrinae integritas, et arcanorum Dei
mysteriorum pura veritas, nunquam clarius eluxit.
Quamobrem agnoscamus bona nostra iisque ad salutem
utentes, fruentes, gratis animis Deum celebremus,
qui mentis nostrae mortiferam caliginem excussit,
et exoptandam lucem scientiae salutis in animis nostris
accendit. Sicut ait Propheta: Populus qui sedebat in te-
nebris: vidit lucem magnam: Sed unde mihi incidit
tecum θεολογεῖν? Quidni autem et de rebus aeternis
per epistolas colloquamur? ad quas à Deo patre no-
stro conditi, et ab ejus Filio Jesu Christo, libera-
lissimè redempti sumus. Ego, mea conjux, et omnis
familia valemus: Idemque tibi tuaeque dulciss. uxori
et patri, matrique Socineri, reliquisque amicis preca-
mur. Vale 5. Nonas Martii 1576. Bremae in schola
inter lectionum curas

Custos puerorum
Johannes Molanus.

Doct. Caspari Oleviano Heidelbergae. 251)

Pax Christi.

Doctor eximia eruditione & pietate, cui me scio et [= Mor. a. 1:
fateor multis nominibus obstrictum esse, quum Nr. 262]
mihi sit oblata petendi mei cujusdam beneficii,
optabilis occasio: Non potui hunc M. Tenurio
Salebargio Rigensi Christianae hospitalitatis

officium denegare. Hoc impetrim is fretus quod
tuus liberalissimus animus, suapte natura ad bene-
ficentiam propendens, meis scholasticis preci-
bus defuit antehac nunquam. Landwerus certè no-
ster vestro beneficio eminet longè supra veterem
magistrum. Rimus nuper in eum locum ere-
ctus est vestra commendatione, ubi et ipse se sa-
pientia augeat et iis literis, quas juvenis praeperit
utatur cum dignitate. De Limnechero non nihil
querimoniae fuit, is tamen in Hollandia optime
cuique se probavit, amicosque illic et bonam famam
invenit. Nunc age Doctor clarissime, tribus his
tuis clientibus, qui te patrone magni evaserunt,
hunc Salisburgium meo rogatu quartum adjunge,
dignum sane (nisi fallor judicando) quem quidam
pietatem ex animo colunt, suo amore, benevolen-
tiaque prosequantur. Certè Witebergae apud sinceri-
oris doctrinae confessionem constanter stetit,
maluitque exilii pericula et aerumnas perpeti, quam
veritatis patrocinium deserere, quum ab importu-
nis hominibus pertinaciter urgeretur. Venit huc
cum eo Antonius Longius, incredibilis artifex scri-
bendi, vobis (ut opinor) non ignotus. Probe eos dis-
jungi non potest, idem est in utroque ardor, idem ani-
mus Dei studio inflammatus, eadem voluntatum sen-
tentia in Theologica professione. Vixerunt hic no-
biscum hos hybernos menses quinque aut sex. An-
tonii opera ego usus sum cum magna utilitate ju-
ventutis. Henricum Cutmagis Theologum Ma-
gistratus adhibiturus erat sacris concionibus,
sed nos hic semper sententiis divisi sumus, ut non
facile hic cuiquam sit locus, nisi qui possit utrique
duobus Dominis servire. Scit tua prudentia qua-
les impetus hic ipse sustinuerim, dum addictus me-
tis, hos, nihil volui concedere, diversae parti,
quare et scripsi ad te alias: et tuo salutari
consilio benignissime fui saepe adjutus. Salisburgius
autem (quantum intellexi observando) generosi-

ore quodam spiritu praeditus est: quam ut obtinere
de conditionis gratia, quidquam ad gratiam loqui pos-
sit. Disputat erudite, et multo minus est quam senten-
tiae dissimulator. Hic hominum candor mihi perama-
bilis visus est. Itaque et hunc et ejus individuum comi-
tem ex animo dilexi, valdeque nunc angor tam subita
ipsorum de nobis distractione. Excitare videtur mihi
novas tempestates, et detrahit mihi iucundum sene-
ctus et iam denique tristior natura. Sed hoc Deum
[illegible], cujus tutelae me totum dedidi, jam inde
usque ab adolescentia. Ceterum viros istos egregios,
mihi propter ingenium et pietatis ardorem valde
dilectos, Reverende Doctor, velim hoc saltem intelli-
gere respectu veteris observantiae, qua T. Excell.
et prosequutus sum et prosequar dum vivam, hujus vul-
garis studii magistri commendationem aliquod a-
pud te pondus habuisse. Dispiciet autem tua solers pru-
dentia, ultimatus, quam ego possum cogitare, quantos in
Theologia progressus fecerit noster valebatque, et quantum
valeat ingenio, et ad quas res vel in schola, vel in Ec-
clesia, vobis usui esse possit. Vale. Certatur hic etiam-
nunc cum Flacio pastore Blasio de doctrina domi-
nicae Coenae. Quidam Lacon cum Athenis in porticu
senes philosophos vidisset, acerrime digladiantes,
quaerentique quid agerent, responsum esset, eos de vir-
tute omnium maxima disputare: Senes (ait) adhuc
de virtute disputant? Et quando eam facient? Sane
satius esset (ut opinor) post infinitas disputatio-
num pugnas, nos tandem aliquando reverenter
usque S. Dni Coena uti, ferimusque ubi tamen animas no-
stras in spem aeternae vitae: quam bene fere modo-
ratio [illegible] eodem semper in loco esse. In scholis
utrisque tranquillae res sunt (Dei sit gloria) sed ob-
orta nuper quaedam [illegible] quae [illegible]
[illegible] imbrem ut gravidinem dabit. Deus pater Dni
nostri Jesu Christi efficiat nos in vera verbi sui
sententia et simul in vero sensu sincerae pietatis [illegible]
multiplicet in te gratiam suam, diuque te columen Ec-
clesiae suae [illegible]. Amen. Iterum Vale Doctor orna-
tissime. Bremae 1576. Quarto Cal. Aprilis.

T. E. addictiss.

Johannes Molanus.